

recessus terminetur super eodē parui circuli puncto velut sup
 f, liquet ergo vtrisque temporibus datis eandem cōpetere æqua
 tionē quæ est segmentū bg, altera itaq; alteri detracta nihil res
 sidebit, nihil ergo dicto medio motui vel addendū vel subtra
 hendū erit, Idem accidit eisdem motibus accessus & recessus
 apud diuersa parui circuli puncta terminatis, quæ tamen in eos
 dem magno consistant orbe per polos eclipticæ nonæ sphæræ
 transeunte, velut si altero datorū temporū motus accessus & re
 cessus octauæ sphæræ terminetur in f, altero autem super h, fi
 niatur, Et quoniā fh, puncta in eodem consistunt magno orbe
 fg h, ideo vtrisque temporibus eadem erit æquatio quæ est b g,
 segmentū atq; circulo motui medio augiū & stellarū fixarum p
 temporis interuallo quod datis interiacet tēporibus nihil erit
 vel addendū vel subtrahendū vt verus emergat motus octauæ
 sphæræ seu augiū stellarumq; fixarum. Quintū documentū
 Quando priore datorū temporū nulla contigerit æquatio, tunc
 posterioris tēporis æquatio integra medio motui octauæ sphæ
 ræ addicitur, si motus accessus & recessus pro eodem tēpore
 posteriore fuerit minor gradibus 180, aut deducit si maior, Pro
 priore autem tempore nulla erit æquatio si nullus dabitur mo
 tus accessus & recessus aut semicirculi tantū, Id quidem acci
 dit dum pro eodem priore tempore caput arietis octauæ sphæ
 ræ alteram duarū parui circuli summitatē possederit, velut d,
 aut e, punctum, Et sit deinde pro tempore posteriore idem cas
 put arietis in medietate eiusdem parui circuli orientali super
 aliquo puncto velut i, manifestum itaq; est q; interuallo datorū
 temporū octaua sphæra ultra motū medium progressa fuerit
 iuxta signorū ordinem quantitate segmenti b k, eclipticæ nonæ
 sphæræ, est autem b k, tota æquatio pro dato tempore posteri
 ore, atq; addēda medio motui, patet ergo pars prima quinti do
 cumēti, Rursus pro posteriore tempore idem caput arietis exis
 stat in semicirculo da e, occidentali super aliquo puncto velut
 r, Perpicuū itaq; est ex diffinitione æquationis segmentū b q,
 esse æquationē pro eodem tempore posteriore, Et quia pro pri
 ore tempore motus accessus & recessus terminari subiicit in